

per hoc presens scriptum nostrum firmiter et districte precipimus, et precipiendo mandamus, quatenus in antea, sicut gratiam Beati Dompnij et nostram caram habetis, et dicti Consilij penam vultis effugere, supradicta nullatenus atemptetis, et in predictis nullatenus excedatis. Alioquin indignationem B. Dompnij, et nostram, ac supradicti Concilij penam, si contrafeceritis, procul dubio incurretis. Data Spaleti in Palatio Archiepiscopali, die Martis 12 Madii, infra octauas B. Dompnij. Indictione sexta.

Joannes Lucius. Memorie di Traù pag. 134. — Farlati. Illyricum Sacrum Tom. III. pag. 293. — Originale in archivio capituli Traguriensis.

LXXVIII.

*Anno 1320 die 23. Septembris in Vrbaz, et 1321 die 8. Novembris
in Castro Oklič.*

Johannes, totius Slavoniae Banus, vectigalia in districtu Rakonok (Rakovec) exigenda Nicolao Ladislai de Rakonok filio auctoritate regia cedit.

Johannes, Banus totius Slavoniae, dilectis sibi vniuersis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Pro meritis nostrorum fidelium vigilanti animo nostro conuenit prouidere, quia dum bonis bene facimus, dum eorum quieti assurgemus, dum ipsos bonis ditamus, oportunos per hec nostre magnitudinis conquiescit animus merito et fouetur. Proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod nobilis vir magister Nicolaus filius Ladislai de Rakonok, ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis litteras nostras patentes, petens nos precum cum instantia, vt easdem de verbo ad verbum rescribi faceremus, ac nostris litteris priuilegialibus eidem dignaremur confirmare, cuius tenor talis est: Nos Johannes Banus totius Slavonie significamus quibus expedit vniuersis. Quod nobilis vir Nicolaus filius Ladislai de Rakonok, dilectus et fidelis noster, cum vniuersis nobilibus et viris Idoneis districtus regni Slavonie, videlicet Comite Georgyo filio Georgij, Petro filio Michaelis, Michaelae filio Radomeri de Kamarcha, Iwachino filio Thome, filij Berywoy, ad nostram accedens presenciam, sueque fidelitatis seruicia nobis proponens et declarans, petens a nobis precum cum instantia, vt pro suis fidelitatibus et servicijs nobis impensis et impendendys per eundem, in districtu possessionis eiusdem in Rakonok ipsum contingentibus, per magnam viam de Crisio ad Zagrabiam euntibus, transeuntibus et redeuntibus, quibuscumque cum mercimonijs perguntibus, tributum iuxta regni consuetudinem approbatam dare et confere, auctoritate regia, qua fungimur in Ba-